

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

Clarissimo uiro,D.Chiliano Goldtstein, doctori iuris,senatus in Salinis

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

nunc cum illustrare ea cepimus, noua feritas hone-  
stissima studia impedit. Sed Deum oramus, ut A-  
cademias restituat & regat. Tabellarium nostrum  
ut reuersurum esse ex Thyrigetis sperem, somnio  
moueor. Nam hac nocte cū Ioachimo suauiter col-  
locutus sum cū ὀνειρῶ. Veni autē ad cum ingressus  
ex hospitio uisitato, & ut in mercatum incedēs per  
forum, ubi paucas pergulas uidi, & urbem non ut  
antea ornata, sed multis rebus deformatā. Et in  
edibus collegij uix per cenū cluctatus sum, ad loa-  
chimi nidulū. Nescio an eburnea aut cornea porta  
egressum sit somniū. Viniā significet tales cōgres-  
sus breui futuros, restituta pace, quales antea fue-  
runt, cum in mercatu conuenimus. Vale, Calendis  
Aprilis. Anno 1547.

Clarissimo uiro, D. Chiliano Goldtstein,  
doctōri Iuris, Senatus in Salinis  
συμβῆλω, S. D.

Etsi multa memini sapientum dicta, quae & le-  
ticias & mœrores iubent moderari: tamen inter-  
dum opprimor dolore, ut penē exanimor. Sed eri-  
go me utcunque hac uera sententia, quod nec casus  
res humanas uolui scio, & nos filio Dei curae esse  
statuo. Eandem consolationem uobis quoq; propo-  
nite. In conuentu Imperator haecenus contendit, ut  
nostri promittant, se synodi cognitionem contro-  
uersiarum

uerfiarum nostrarum promissuros esse: & pollicetur se curaturum, ne iudicet Pontifex, sed homines delecti. Hec uides esse insidiarū plena. Sed oremus Deum, ut nos gubernet, & regat politias. Mitta tuis liberis precationem Stigelij uer sibus uenuste comprehensam, in qua magis scio te acquiescere ceteris ullis. Scire cupio quid de epistola statueris, quam schola ad Senatum scripserat. Bene uale. Die Baptiste, collegae mihi charissimi, qui agnum nobis monstrauit charissimum filium Dei.

Nicolao cuidam.

Valde optarim te unius anni laborem & molestiam animo pertulisse, propter ipsas literas: quae cum in summo odio sint apud indoctos, non possunt alia ratione conseruari ac restitui, nisi professores sua patiētia, & equitate et studijs uoluntates hominū sibi concilient. Quod enim de ualitudine quereris, etas tua mihi quidem tantum habere robur uidetur, ut hos labores aliquandiu sine periculo ferre potuisse uidearis. Habes summā nostri consilij, ac mearum cogitationum: quas rogo ut in bonam partem interpreteris. Scripsi enim animo simplici, pro amore erga te meo. Nam propter has querelas uideris mihi de existimatione periclitari. Non impedio tamen uti te occasione, si contingat melior conditio. Vale.

B 2 D. Iusti-